

ac falsi Doctores Veteris Test. non negabant vel oppugnabant publicam & orthodoxam, de Deo & cultu ejus, doctrinam, à Mose & Prophetis traditam; sed errabant tantum in hoc vel illo casu conscientiae resolvendo, & doctrina legis conscientiis hominum rectè applicanda. Et ideo pseudoprophetae & falsi Doctores erant, à veris Prophetis notati, & à Deo justo Iudice puniti *Jerem. 23. Ezech. 13. Mal. 2, 8 9.* Nec dubium, quin hodie Deus similiter de veris & falsis Theologis vel Prophetis judicet, & servi ac populus Dei judicare debeat *Matth. 7. 15. Rom. 16. 17. 18.*

XXI. Ex hisce omnibus jam, ut opinor, satis apparet, cum summus omnium actionum nostrarum & imprimis doctrinae & librorum theologicorum, finis esse debeat Dei gloria, proximi & edificatio, ignorantis aut dubitantis instructio, errantis confutatio cum veritatis demonstratione, peccantis correptio & correctio, & propria animae nostrae salus; hosce fines à Wolzegio rectè consideratos non fuisse. Nam, ut ostendimus liber ipse, in multis partibus & punctis, potius ad Dei contumeliam, proximique ac propriam ipsius destructionem directus est. Et quamvis facile credam, hæc illum non intendisse; Diabolus tamen, per ejusmodi libros, eorumque scriptores approbatores & defensores, etiam ignaros, hoc intendit, & per eos Ecclesiae Dei insidiatur, suamque agit ac promovet causam.

XXII. Et cum Apostolus velit Episcopum esse tenacem fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, ut possit exhortari doctrinam sanam & contradicentes convincere; ille hic in multis accedit ad refractarios & vaniloquos & mentium deceptores, quibus oportet os obturare *Tit. 1. 9. 10. 11.* adeoque non bene observavit monitum Apostoli *1. Tim. 4. 12.* Esto exemplar fidelium in sermone. Ad quem locum bene monet Philippus Melanthon, *in tertia parte orationum suarum:* Non serat Pastor, ambitione aut studio contentionis, novas opiniones, paradoxa, hyperbolas, ambigüe dicta: unde & doctrinae confusiones & exitiosa dissidia oriuntur. Denique tota ratio docendi sit vera, propria, perspicua, casta, fugitans cavillationes & nimiam subtilitatem; accommodata ad alendam & confirmandam fidem in bonis, & ad retinendam concordiam